

Iam superest aliud auri praecipitatum, in quo varia ratione praeparando multam nuper operam consumsi, quo variorum de eius ortu, veraque indole opiniones melius diiudicare possem. Obtinetur illud stanni solutionis ope, et, quod purpureo, eoque admodum eleganti colore conspicuum est, purpurae mineralis nomen a chemicis accepit. Est autem huius metallici pulueris praeparatio perdifficilis, ita ut, qui nondum experientia sua remouere impedimenta didicerunt, quibus quandoque omnis labor irritus redditur, saepe experimentum repetant, neque tamen fine suo potiantur, etsi omnia praecepta, quae chemici hac super re dederunt, studiose fuerint secuti. Etenim, ut, quantum adhuc reperi, omnis auri solutio, siue aqua regia acidi muriatici ope facta, siue medii cuiusdam perfecti aut terrestris salis, in quo hoc acidum continetur, auxilio parata fuerit, ad hoc experimentum aptissima est; stanni tamen solutionem summa cum cura factam esse conuenit, si admodum elegans, variisque vsibus aptum purpureum praecipitatum habere velis. Exposuit vero nuper *Erxlebenius* *) de ea methodo, qua stanni solutio ad hunc vsum idonea praeparari debeat, quare eam multis non repetam, sed hoc tantum monebo, omnino non diuersam illam esse ab ea, qua tinctoriae artis magistri in praeparanda hac solutione, quam *Compositionem* dicunt et potissimum ad coccineum colorem producendum adhibent, iam pridem vsi sunt. Equidem ipse, priusquam *Erxlebenii* super hoc argumento dissertationem legeram, in stanno soluendo semper illos artifices imitatus sum, nec memini, me vnquam frustra laborare, aut experimentum non recte

*) *Novi Commentarii Societatis re-* 107. sqq. it. I. C. P. *Erxleben* *physicae scientiarum Göttingensis*, Tom. V. *alkalisch-chemische Abhandlungen*, 1 Band, ad ann. 1774. Götting. 1775. pag. *Leipz.* 1776. S. 280.